

bia, quæ tunc attinget rationem peccati mortalis, quando juxta prudentis arbitrium exponit religiosum periculo retrocedendi, vel deficiendi in necessariis ad statum suum, et nihilominus in suo judicio et affectu perseverat. Denique intentio generalis non se subjiciendi regulæ, etiamsi tantum sit ex amore proprio et accidia, quidem contemptus regulæ est virtualis, potius quam formalis. Si tamen quis non solum intendat non esse sollicitus in observatione regulæ, sed etiam nunquam illam servare, quamvis facile possit, dispositio hæc vel est peccatum mortale, vel certe magna dispositio ad illud, et vix sine formali contemptu haberi potest.

24. *Satisfit argumentis ab initio capitis propositis.* Superest ut rationibus utriusque partis in principio capitis factis satisfaciamus, ne resolutioni a nobis datæ obstare videantur. Sententiam ergo illam D. Thomæ, et communem num. 1 propositam, intelligendam censeo, vel quando intentio non vivendi secundum regulam talis est, ut vel simpliciter totam regulam, nihil distinguendo inter gravia et levia, substantialia et accidentalia, despiciat; vel quando talis est ut omnino quis statuat nec servare regulam, nec subjacere religiosæ disciplinæ; vel certe quando quis ita despicit regulam, ut non solum non intendat totam servare, sed etiam quasi positive intendat totam illam non servare, ne illi subjectus appareat; extra hos vero casus non est peccatum mortale, nisi per accidens ratione periculi.

25. *Ad primum argumentum in num. 2.* — *Ad secundum argumentum in num. 3.* — Neque plus probant confirmationes ibi adductæ. Nam prima, in num. 2 sumpta ex modo profitendi, promittendo conversionem morum, aut observantiam regulæ, solum probat esse necessariam intentionem subjiciendi se regulæ in eo gradu, in quo ipsa proponitur; nam, ut supra diximus, per professionem vel vota ejus, non aliam obligationem aliquis sibi imponit, præter eam quam auctor regulæ imposuit, sed solum profitetur se subjicere illi. Secundæ autem confirmationi, ex modo loquendi Sanctorum, in num. 3, respondetur, verba illa Hieronymi accommodata intelligenda esse; nam cum ait: *Te perfectum fore pollicitus es,* non intelligit aliquem promittere se consecutum perfectionem, sed in statu perfectionis permansurum, ad quem statum spectat nihil præter Christum habere, id est, nec proprium aliquid, nec seculi aut matrimonii curas, neque aliam voluntatem, nisi ejus qui Christum re-

præsentat. Quæ in tantum cadunt directe sub promissione, in quantum pertinent ad tria substantialia vota religionis; et hoc modo intentio servandi regulam, quatenus hæc continet vel determinat secundum peculiarem modum suum, est de necessitate præcepti; reliqua vero sunt ad melius esse, vel in eo gradu necessaria, in quo per regulam proponuntur. Atque hæc intentio sufficit ut quis habeat propositum proficiendi substantialiter, ut sic dicam, et consequenter ad non deficiendum simpliciter gratiæ Dei. Et ita cum proportionem accommodari poterit vulgaris illa sententia: In via Dei non progredi deficere est, quia non progredi in substantialibus et necessariis erit substantialiter deficere; non progredi autem in consiliis erit deficere in perfectione tantum, et sæpe erit defectus venialis, non autem substantialis defectus.

26. *Ad proloquium Sanctorum in eodem n. 3.* — Illa vero sententia: *In via Dei non proficere est deficere, vel, Non progredi est regredi,* quæ frequentior est apud Bernardum quam apud alios Patres, intelligi potest vel formaliter et rigore, vel causaliter seu consecutive ac morali modo. Prior sensus non est verus, quia etiamsi quis in gratia non crescat, si non peccet, non ideo regreditur in via Dei. Unde formaliter dixit Augustinus, serm. 15 de Verbis Apostoli: *Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet qui non proficit; retro redit qui ad ea revertitur, unde jam abcesserat; deviat, qui apostatat.* Secundus ergo sensus est intentus a Bernardo; nam, quia in hac vita non potest homo carere omni operatione, ideo necesse est per eam aut deficere aut proficere. Sicque dixit idem Bernardus, epist. 91, et epist. 341: *In hac vita mortali nihil in eodem statu permanet; aut ascendas necesse est, aut descendas.* Unde illa sententia non est religiosorum propria, sed omnibus justis communis est. Dum autem sic dicitur deficere qui non proficit, non intelligitur de defectu mortalis culpæ, imo nec de diminutione ipsius charitatis in seipsa, quæ diminui nullo modo potest; sed intelligitur de defectu alicujus venialis culpæ, vel de defectu in acquirendo aliquo morali vitio, aut de augmento alicujus inordinatæ affectionis, quæ cursum vel facilitatem virtutis impediatur. Atque ita intellecta illa sententia nihil ad præsentem causam facit. Adde etiam, præsertim intendere dictos Patres docere, periculosum esse in hac vita existimare aliquem, se satis

proficisse, et ideo desistere a cura et sollicitudine proficiendi. Sic dixit Bernardus dicta epist. 253: *Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: Satis est; sed semper esurit sibi que justitiam.* Et ita interius subdit: *Si studere perfectioni esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est, utique a perfectione, non statim a gratia; nisi tanta sit superbia, vel animi relaxatio, ut hominem in eo periculo constituat.* Quo sensu dixit etiam Augustinus, dict. serm. 15: *Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es; nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris: Sufficit, et peristi.*

27. *Ad tertium argumentum in num. 4.* — Ad ultimam confirmationem jam responsum est, regulam religionis, de qua agimus, vel non obligare ad aliquam culpam, vel solum ad venialem; neque ex confusa illa et generali ratione non servandi hujusmodi regulam, insurgere materiam gravis culpæ, secluso contemptu et periculo, ut satis explicatum est.

28. *Ad primam probationem partis negantis, in n. 5 et 6.* — *Ad primam confirmationem in num. 7.* — Ad rationes pro altera parte factas respondetur imprimis optime probare illud propositum non esse peccatum mortale, nisi vel gravem contemptum includat, vel hominem morali periculo mortaliter peccandi exponat. Utrumque autem quando contingat, jam explicatum est; nec de toto primo discursu in n. 5 et 6, aliquid amplius dicere necesse est. In prima vero confirmatione in n. 7, addo, recte etiam probari, propter solam rationem mendacii vel simulationem hoc non esse peccatum mortale, nisi propositum extendatur ad transgressionem voti; quam transgressionem mendacium vocat Hieronymus in loco citato, et de illo dicit occidere animam. Illo autem secluso, nullam rationem mortalis peccati in hoc invenio; imo nec veram rationem mendacii, aut formalis simulationis, nisi quis directe intendat decipere alios. Unde etiam in ipsamet professione, si quis intendat vere profiteri, non habeat tamen intentionem servandi regulam, apud homines non mentitur, quidquid sit apud Deum, quia vere intendit quod per verba profert. Quod si audientes plus concipiunt, non est ex vi actionis vel prolationis exterioris; sed quia bene præsumunt de assumente talem statum, dum contrarium non apparet; alter autem eos non decipit, licet decipi sinat, quod non semper mendacium est. Unde, etiamsi religiosus male vivat, non mentitur deferens habitum, etsi ratione illius ab

aliis credatur honeste vivere, quia non tenetur se prodere, etiamsi alii fallantur. Maxime quia in factis et vestibus principalis finis non est significatio, ut in verbis, sed usus; et ideo frequenter sine mendacio assumuntur propter usum, etiamsi alii in significatione fallantur. Cum ergo D. Thomas ait committere quempiam mendacium vel simulationem, cum ab intentione perfectionis deficit, præcipue intelligendum puto respectu Dei, quia non intendit servare quod ei promisit, sicut de Hieronymo dicebam. Si autem exponatur etiam respectu hominum, intelligendus erit, si quis directe intendat simulationem et hypocrisim, alioqui erit tantum materialis simulatio.

29. *Ad secundam confirmationem in n. 8.* — In secunda confirmatione adnoto, verissimum esse Episcopos non esse in peccato mortali, eo quod non intendant consequi perfectionem charitatis per opera consiliorum et supererogationis, seculo contemptu, et morali periculo non servandi quæ illis præcepta sunt, prout hæc sunt a nobis explicata; nam omnia, quæ diximus, majori ratione habent locum in Episcopis; quia ipsi nullum votum faciunt tendendi ad perfectionem, vel servandi consilia, præter castitatem: quod non habent ut Episcopi, sed ut clerici in sacris. Secluso autem voto, illa ratio mendacii, quæ in eis consideratur, vel nullius, vel parvi momenti est, ut declaravi. Quia vero ratione status obligantur specialiter ad quædam opera perfectissima, ut ad ponendam animam pro ovibus, et ad subveniendum illis in necessitatibus spiritualibus et corporalibus, ideo tenentur esse in præparatione animi ad hæc opera saltem pro temporibus et opportunitatibus in quibus sub obligationem cadunt; tunc ergo essent in statu peccati mortalis, quando haberent intentionem huic præparationi animi contrariam, quæ jam non esset intentio non servandi consilia, verum etiam nec præcepta. Sic ergo tenentur Episcopi ex vi status habere intentionem perfecte vivendi, id est, perfectissima opera charitatis et justitiæ exequendi, quando fuerint necessaria; et quia per consiliorum observationem ad hoc bene disponentur, recte faciunt illa observando; non possumus tamen illis attribuere præceptum habendi hoc propositum, cum fundamento, nisi ad tollendum contemptum vel periculum morale, ut explicatum est.

30. *Ad ultimam confirmationem in n. 9.* — In ultima confirmatione, jam constat per se non esse peccatum mortale deliberatum propositum non servandi unam vel aliam regu-

lam, neque illud sufficere ad contemptum, nisi includat obstinatum animum non parendi regulari disciplinæ in transgressione talis regulæ, vel nisi includat aliud genus periculi et contemptus a nobis expositi. Est autem hoc discrimen inter generale propositum circa totam regulam, vel particulare circa unam aut aliam, quod facilius potest illa generalis dejectio animi vergere in contemptum, vel constituere hominem in gravi periculo, ut per se clarum videtur. Et hanc etiam solam differentiam invenio inter illam intentionem generalem, et executionem in frequenti transgressione regulæ; nam hæc moraliter contingit ex sola fragilitate, et ex particularibus affectibus, vel negligentis, quæ in diversis occasionibus occurrunt; et ideo in illa non est tanta occasio perveniendi ad contemptum, sicut est in formali deliberatione aut proposito.

## CAPUT V.

## UTRUM TENEATUR RELIGIOSUS NON DIMITTERE SUUM HABITUM.

1. *Prima suppositio, morem certi habitus esse religiosi ab antiquo usitatum.* — Occurrebat primo dicendum hoc loco de monachorum habitu singulari, an convenienter introductus sit, et ex quo tempore, et qua ratione ac fructu. Nam hæretici hujus temporis sicut religiosorum statum odio habent, ita in eorum habitum et cæremonias vehementer invehuntur. Verumtamen hoc labore liberavit nos eruditissimus Bellarminus, qui lib. 2 de Monachis, c. 40, rem hanc diligenter expedit; et ex his, quæ adducit, constat morem hunc ab initio nascentis Ecclesiæ incepisse. Imo, si antiquiora etiam tempora inspicimus invenimus Eliam, Joannem Baptistam, ac alios, qui austerius vitæ genus professi sunt, in exteriori habitu id demonstrasse. Unde Chrysostomus, homil. 69 in Matth., dicit monachos habitu imitari Eliam et Joannem. Et Dionysius, c. 6 Ecclesiast. hierarch., commemorat antiquum morem mutandi habitum in professione monachatus: *Sacerdos* (inquit) *signo crucis eum consignatum tondet, omnique veste detracta, eum alia induit.* Cassianus, lib. 1 de Instit. renunciant., per multa capita habitum monachorum describit, et per singulas ejus partes mysticas illius rationes reddit. Tractat etiam Basilius in regulis fusius disputatis, c. 22, attingens potius rationes morales,

vel, ut ita dicam, usuales illi statui accommodatas.

2. *Secunda suppositio de causis prædicti moris.* — Duplex enim est præcipua causa, ob quam peculiaris habitus religiosi tributus est. Una comprehendit varias rationes morales, scilicet, usus paupertatis, ut tantum consulatur decentiæ, et conservationi naturæ, non abundantiae et superfluitati, juxta illud Pauli: *Habentes alimenta, et quibus tegamur*, ut optime ad hoc propositum expendit Basilius, reg. 22, ex fusius disputatis. Alia est corporis mortificatio et poenitentia, quæ non parum exercetur in vestitus asperitate. Altera est professio humilitatis et abjectionis, quæ in exteriori habitu multum cernitur. Et hæc rationes, ac similes, communes sunt omnibus religiosi, unicuique juxta finem et institutum suum. Alia vero causa, quam mysticam vocamus, est significatio aliqua quæ aliquando est in colore, ut vestis alba significare solet candorem mentis. Vel e converso fuscam vestem ait Augustinus, epist. 199, significare continentiam; et de cuculla ait Cassianus significare simplicitatem et innocentiam; et sic de aliis. Moralis autem ratio, quæ ex ratione etiam signi sumitur, est, ut monachus ab hominibus aliorum statuum, scilicet a laicis et clericis secularibus, distinguatur; et quia monachorum religiones variæ sunt, exterior etiam habitus diversus distinctionem inter eas notam facit. Quæ ratio maxime locum habet in religionibus monachorum. Nam religio clericorum habere potest habitum aliis clericis communem, ut inferius suo loco de Societate dicemus.

3. *Proponitur quæstio, et ratio dubitandi utrinque.* — *Quæstio vel proponi potest de dimissione habitus vel de spoliatione.* — Hoc ergo supposito, quæstio est an religiosus, qui ex regula peculiarem habitum defert, teneatur sub culpa gravi non deserere vel mutare talem habitum. Et ratio dubitandi est, quia regula religionis, ut supponimus, non obligat ad culpam, vel gravem culpam; sed religiosus solum tenetur deferre habitum suum ex vi regulæ; ergo ad illum retinendum solum tenetur regulari obligatione, non autem rigorosa, et sub mortali. Minor probatur, quia religiosus non se obligat ex voto ad deferendum habitum, vel tonsuram, de qua eadem est quæstio, magis quam ad observandas alias cæremonias ordinis; ergo solum superest illi obligatio ex regula; et ita sentit Panormitanus, in c. *Deus qui*, de Vita et honest. Cleric., n. 2, circa pri-

mam glossam, ubi non videtur facere differentiam inter hanc observantiam, et alias, quæ sunt ex regula. In contrarium autem est, quia, juxta traditionem omnium religionum et communem existimationem, gravis culpa in religioso censetur suum habitum deserere. Est igitur advertendum in proprietate sermonis aliud esse spoliare se seu nudare habitu, aliud deserere aut mutare habitum. Nam primum fieri potest ad breve tempus, et sine assumptione alterius habitus, ad dormiendum, verbi gratia, ad balneum sumendum, vel natandum, vel ob alias similes causas. Secundum vero proprie significat relinquere religiosum habitum ad induendum alium. Quod fieri potest, vel ad vivendum diu aut perpetuo in alio habitu assumpto, et illud est proprie renuntiare habitum; vel solum ad breve tempus, et illa dicitur mutatio habitus, quamvis hæc vox generalior sit. Potest etiam mutatio esse vel in habitum secularem, vel in alium habitum religiosum.

4. *Prima assertio de demissione habitus peccaminosa graviter.* — *Probatur.* — *Confirmatio prima.* — *Confirmatio secunda.* — Dico ergo primo teneri religiosum sub mortali peccato retinere, id est, non mutare proprium religionis habitum. Hanc assertionem ut certam supponunt omnes Doctores, quos nunc omitto, quia infra, lib. 3, a principio, tractando de apostasia a religione, referendi sunt; nam unus modus et frequentior apostatandi est per desertionem habitus. Et sufficienter probatur ex cap. 2, Ne cleric. vel monach., in 6, ubi fertur excommunicatio ipso jure in quemlibet religiosum professum temere dimittentem religionis suæ habitum; excommunicatio autem major supponit peccatum mortale. Confirmatur, nam clericus secularis tenetur sub mortali non deserere vel mutare clericalem habitum, ut constat ex toto titulo de Vita et honestate clericorum; ergo idem dicendum est de religiosi, nam quoad hoc æquiparantur in jure. Unde confirmatur per argumentum ab speciali, ex cap. *Deus qui*, de Vita et honest. cleric., ubi Innocentius III concedit quibusdam monachis et religiosi diversorum ordinum, ut in unum honestum habitum se conforment, ut possint melius uniri, vel scandalum auferre ad Evangelium prædicandum; ergo supponitur in illo textu non posse religiosos, per se loquendo, licite mutare habitum. Optime hoc confirmat c. *Clerici*, 2, de Vit. et honest. cleric., ibi: *Pontifices autem in publico et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur,*

*nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem*, ubi clare supponitur hæc obligatio; imo etiam ex illo textu recte probatur teneri religiosum ad deferendum habitum suum patentem, cum non permittat etiam per Episcopalia indumenta occultari. Quæ etiam est ibi communis opinio, quam expresse quoque docuit Navarrus, in consiliis de Regularibus infra citandis.

5. *Ex jure naturali, supposito voto, nasci hanc obligationem videtur.* — *Non esse hanc causam sufficientem sumptam per se solam.* — Sed difficultas est, unde nascatur hæc gravis obligatio non deserendi habitum, seu quo jure hoc præceptum introductum sit; et imprimis dici potest esse de jure naturali, supposito tali voto, et statu, et institutione ac fine talis habitus. Nam, ut num. 2 diximus, hic habitus non solum datur ad humanum usum, sed tanquam insigne propriæ professionis. Eo autem ipso quo quis assumit aliquod munus vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud, consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum publice institutum et datum ad talem professionem significandam, nam illa est virtualis quædam defectio ab illa obligatione. Quæ ratio manifeste convincit, quando habitus deponitur animo retrocedendi ab statu; nam tunc plane committitur apostasiæ vitium, quod, supposito voto, contra legem divinam et naturalem est, ut significatur in Concilio Carthaginensi IV, cap. ult., habetur in c. 1, 27, q. 1, et idem habetur in cap. *De viduis*, et cap. *Viduas*, cum aliis, ead. caus., et 9, cap. 2, 20, q. 3, ex Concil. Tolet. VI, c. 6; tunc autem præcise agimus de sola depositione habitus. Posset autem intelligi aliquem velle retinere statum, et servare substantialia ejus, nolle autem uti tali habitu, quod posset facilius in monialibus contingere. Ergo non satis est obligatio ad statum, nisi addatur specialis obligatio ad deferendum in habitu proprium signum talis status. Ad hoc vero dici posset, quamvis hæc duo speculative (ut sic dicam) sint separabilia, practice in tali materia non posse separari, quia vel religiosus dimittit habitum relinquendo etiam monasterium, sequæ ab obedientia suorum Prælatorum subtrahendo, vel sub illa manens. Priori modo retrocedit ab statu in quo perseverare tenetur, et est apostata, ut infra citato lib. 3 videbimus; posteriori autem modo impossibile moraliter est ut habitum mutare permittatur. Quæ ratio probat quidem optime, quando mutatio habitus